



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. XXIII. Argumentum. Idomenei metus ob futuram hospitem suorum
profectionem. Studium illam impediendi delatis causis profanis & sacris.
Mentoris de utrisque sententia & institutio. Solennis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

tys spumas placidiùs detrahit iratis fluctibus, cùm Nerei canos obit muliebri illecebra, quàm Antiope genitori æstum concitati animi. Quanquam autem aliquando nec ius ullum potestatis sibi vendicabit, nec iuris potestati par abutetur oris decus: mentem tamen sui quondam conjugis reget æquè levi opera, atque nunc, cùm lenissimos concinnat sonos, lyram. Rectè amas, inquam, mi iuvenis. Hanc te Dii volunt. Prudenter amas. At expectandum, dum Ulysses iunget tibi. Rectè item amorem illi celabas tuum. Etsi autem per ambages, à te investigatas, cogitatio tua pervenisset ad eius animum, hac reiecta certè in admiratione tui refrixisset. Nunquam illa sponsum suo, sed patris arbitrato accipiet. Sed neque accipiet, nisi qui & Deos & quæcunque decent, observet. Attendistin, post reditus tuos, quàm antea, comparere minus; minus etiam indulgere oculis? Novit, quæ in bello gessisti prospere. Novit genus tuum, eventus vitæ, beneficiâque à Diis tua. Atqui propterea tecum modestè & cautè agit. Eia Telemache! in Ithacam! Meum adhuc est, efficere, ut rursus genitorem aspicias, téque comparare fatîs, ut hanc lectissimam obtineas; quæ etiamsi non inter regii genitoris adolevisset brachia, sed in rigidis Algidi pascuis, felicem tamen beatúmque te sponsum efficeret.

TELEMACHUS.

LIBER XXIII.

IDomeneus haud otiosè suspicabatur, profectio-
nem hospitibus suis in animo esse. Quare omni
eam consilio prorahere constituit. Iam con-
trover-

troversiam enarrabat Mentori, quam sine eo non posset dirimere, inter Deophanem Iovis Conservatoris & Heliodorum Apollinis sacerdotem oratam super omnibus, quæ ex avium volatu & extis hostiarum collegerant. At Mentor: Quid, inquit, te sacris insinuas? Quin iudicium transfers eorum in Hetruscos, quos & verustissimorum oraculorum traditio & afflatus animi interior interpretandis Divinis accommodat? Puto ego, auctoritatem tuam ponendam in eo, ut ipsa initia huiusmodi obruas dissidiorum. Quod dum agis, ostende, te nec studio partium, nec prævia opinione duci. Satis sit tibi curare, ut re iudicata stetur. Memento regem obnoxium esse religioni, atque alienum ab eo, sacris unquam moderari. A Diis religio est & altior Sceptris. Cuius si rectores, non custodes reges sunt, sit è religione mancipatus. Quippe reges hac sua potentia & hac imbecillitate ceterorum mortalium si ad causas religionis admittantur iudicandas: periculum est, ne omnia cogantur regum obsecundare sentiendi libidini. Id genus controversias ergo amicis Deorum cede; auctoritatem verò, quanta polles, contrahe ad reprimendos eos, qui iugulatum ibunt pronunciatam sententiam.

Postea Idomeneus multis causis privatorum aiebat se urgeri, turbarique. Iterum Mentor: Tu quidem nullam quæstionem, inquit, recusabis, quæ seu ad confirmandam iurisprudentiæ disciplinam seu explicandas leges videbitur pertinere. Ceterum noli te causis privatorum dare. Cingent te litigatorum cumuli. Iudex causarum totius Imperii tui deposcèris unus: ceteri à te dati iudices frustra

occu-

occupabunt tribunalia. Hæ res minores te obruent : avocabunt à gravioribus ; neque tamen singulis quibusque componendis sufficies. Cave te his turbis & remoris iniicias. Privata ordinariis magistratibus remitte disceptanda : nec age , nisi cuius agendi onus suscipere alieni humeri non valent.

Rogatus præterea fui, Idomeneus addit, ut conciliator sim quorundam coniugiorum. Sunt nimirum, iique haud parùm supra vulgus, qui arma mea secuti, re domestica magnam partem exciderunt. Hi ergo damnorum suorum subsidio sponfas ampla dote appetunt. Quas ut habeant, verbulo duntaxat regis opus.

Idque ego, Mentor occurrit, haud dubito. At verbuli istius, vide, quàm iniquum impendium. Tune copiam parentibus negare, & solatium sibi legendi generos, adeoque & hæredes? Servitutis hoc genus erit gravissimum, ferendumque omnibus, quorum natales vel maximè sunt ingenui. Reus eris malorum, quæcunque cives tuos intra domesticos parietes prement. Sunt mehercle aliàs satis spinosa coniugia, neque opus ea hac re tristi exasperare. Fidem operis compensare si tuis voles, incultum solum tribue: honores decerne, pares illorum conditioni & navatæ industriæ. Adde, si opus est, census, quos ex sumptibus tuis fecerit ærarium reliquos. Debita cave retribuas filiabus nummatorum civium, locatis nuptum cum amicorum invidia.

Ab hac quæstione mox divertit ad aliam. Conqueruntur Sybaritæ, inquit, nos quasdam è regionibus suis occupasse vi, easque, nullo adhuc instructas cultu, aliunde evocatis colonis tradidisse subigendas.

gendas. Cedámne his querelis? sin ita, credemur passim nudis aliorum postularis acquiescere.

Nec Sybaritis, Mentor inquit, nec tibi fas est in causa propria credi. Cui ergo? scitatur Idome-neus. Neutri: reponit ille. Sed capiendus est vobis ex vicino populo arbiter, qui in neutram partem videatur propensior. Cuiusmodi sunt Siphontini; quippe quorum salus vestræ inimica non est. Ego vero, rex oggerit, arbitro cur habeam fidem? Nunquid rex sum? Regiáne auctoritas patiatur Imperii sui limites alieno iudicio definiri? Continuo Mentor cæptum sermonem hunc in modum provexit:

Quoniam fixum est tibi, nec transversum digitum cedere: certum habere debes, ius tuum esse legitimum. Sed neque Sybaritæ quid cedunt; asseruntque certo deberi, quæ peterent. Ergo diversa opinantibus vobis necesse est aut arbitrum utrinque delectum aut armorum discrimen intervenire. Neque enim relinquitur tertium. Iam si Rem quandam ingredereris Publicam, ubi nullis magistratibus, nullis iudicibus familia quæque arbitretur licere sibi, quodcunque ius suum, contra affines vi prosequi: defleres profecto mala gentis tam miseræ; tantamque inter se dimicandi licentiam vagantem per omnes familias, cum horrore aspiceres. Et Immortales Deos credis orbem, vastissimam illam Rempublicam, lætius intueri, si quælibet natio, quæ nihil amplius est, quàm ingens quædam illius Reipublicæ familia, sibi fas putet armis extorquere: postulata à finitimis? Si quis agrum subditus à maioribus accepit, in eius possessione consistet haud aliter, nisi legibus & iudicio
magi-

magistratum. Lueret profectò cum seditionum auctoribus, si, quod ipsi ius asserit, vellet auctoritate sua defendere. Et tu reges putas iuris vindicandi causa ad arma prosilire sine piaculo, prætermisiss quibusque lenioribus mediis? Cùm de integris provinciis agitur, nunquid sanctiùs à regibus habenda iustitia, quàm cùm de modicis portionibus culti soli disceptant privatorum familiæ? Tyrannus & prædo est, qui pauca iugera involat; & qui regiones integras, iustus quin & heros audiet? Si in causis levioribus privatorum tibi imponis, indulges, cæcutis: in re summa & publica non suspiceris facilius, ne indulgentior sis, minúsque ab errore alienus? Quis ipse in causa sibi credat tam insidiosa fidei? in causa, quæ per se timorem facit committendi erroris, ex quo perversam hominis unius sententiam tanta mala consequuntur? quippe error regis, dum in assertione iurium blanditur proniori animo, sæpe populationes, famem, cædes generat, pestem etiam corporum & morum, manaturam in ultima tempora. Rex ergo, cuius nec momentum, nec latus ullum ab adulatoribus vacuum est, tum quidem non timeat assentantium insidias? Quod si autem ad finiendam litem consentit in arbitrum: palam facit, qua sit æquitate, fide, temperantia. Docet digniora argumenta, quibus causa sua innititur. Delectus in arbitrum, pacificator est, non iudex cum potestate. Acquiescitur eius sententiæ non temere, non sine consilio, etsi plurimum illi tribuitur. Absque summa auctoritate pronunciat iudicium, imò consilium; eoque auctore, pacis causâ non nihil controversi iuris dimittitur. Post omnem regis pro pace indu-

industriam si tamen excitabitur bellum: habebit tum saltem causa eius testimonium rectæ conscientiae, auctoritatem apud finitimos, tutelam denique Deorum immortalium. Victus hac oratione Idomeneus patiebatur Sipontinos inter ipsum & Sybaritas conciliatores esse.

Ceterùm rex ut vidit, nihil porro superesse, quo ambos hospites posset à proficiscendi consilio avertere: cœpit ad remorandos eos de firmiore vinculo cogitare. Telemachi animum in Antiopen propendere deprehenderat. Inde ergo spe concepta, iuvenem vinculo amoris posse irretiri, prurumque iubebat illam canere inter epulas dierum solennium. Obsequebatur virgo, non ausa genitori refractaria esse, at ea modestiâ, vultuque ad eum non facili, ut nemo ignoraret intuentium, obedire invitam. Sed demum eò Idomeneum amor hospitis provexit, ut reportatam de Dauniis & Adrasto victoriam imperaret canenti. Cùm illa decentissimè, quod petebatur, deprecata est, animo pertinaciter recusante, res Telemachi gestas delinire modulis. Nec pater sustinuit molestiam afferre nolenti. Ceterùm vox eius lenis & delicata se penetrabat in iuvenis animum, liquescentem largissimo sensu. Quo animadverso Idomeneus haud obiter lætabatur; tum utique, cùm Telemachus (etsi sponte) videbatur regis consilium nescire. Eiusmodi rebus autem quanquam mentem continere non poterat iuvenis, violentior tamen ratio erat amoris affectu. Alius tum scilicet iam fuerat, quàm cùm intemperantiori cupiditati obsequebatur in Calypsus insula. Inter cantum omnino imperabat

perabat

perabat linguæ, eoque finito sermonem diligenter ad alia festinabat deflectere.

Hac ergo ratione cum operam destinatis frustra navasset rex: tandem ad oblectandam filiam constituit solennem venatum dare. Illa, ut erat ab ea re alieno tunc animo, lacrymas adhibere cepit. Sed iam recusare non licuit, quæ omnino volebat pater. Equo igitur virgo imponitur, qui & spumante ore, & totis artibus notas præferens innatæ ferociæ, videbatur prodiisse è Castoris Hippodromo. Moderabatur illi levissima manu. Turba virginum sequebatur, ex ardore dominæ ferventium; inter quas ipsa, velut Diana in sylvis conspicua, parentis & Telemachi oculos abripiebat in se. Ille nec satiari visu, nec tum recordari malorum potuit, quæ fuisset perpeffus; hunc dexteritas, & ingens venustatum illius apparatus, atque his longè validiùs modestia virginis perculerat.

Persequebantur canes aprum ingentis magnitudinis, parem Calydonio immanitate furendi. Exerebat feras non mitiores ferro, neque iaculis minùs innoxias. Oculi sanguinei, crebròque & præcipiti fulgore internitente terribiles. Vis proturbati halitus indicium sui longè præmittebat currenti velut ambiguum è procellis murmur, cum iubente Æolo se ad antra sua recipiunt. Procumbebant arborum stirpes decussæ, quibus dentes suos, formam & aciem falcium largiter imitantes, illiferat. Canum imminentium temeritas ruptis iliis plexa. Antiope feram, quam nemo audebat premere insectantium, etiam quorum inter venatoriam pubem celebrior erat animus, non dubitavit è propinquo adoriri pernicissimi cursus fiducia. Vibrato telo
 faucia-

fanciavit, humero vulnere imminente. Inde manans cruor iram feræ accendit. Protinúsque in auctorem conversa vulneris, equum pavore præter morem concussum, & excedentem vestigio, occupat arietis, qui aheneas compages laxat, impetu, impotémque corporis deturbat humi. Labitur effusa Antiope: videt non locum, non vires superesse evadendi dentes, nunc incutiendos à rabiosa bestia. Cùm Telemachus, qui periclitanti virgini magnopere metuens equum suum iam reliquerat, se inter deiectum animal, & vindictæ rursus instauratam feram incredibili celeritate interiiicit, & venabulo, quod longius torquebat manu, secundùm latus, quantum ferè amentum permittebat, imisso, eam inter ultimos furores corruentem evertit. Simul monstro caput defecuit, adhuc intuentibus terribile, & idoneum inferendo stupori universis, qui venationem curabant. Ad Antiope detulit. At illa subeunte verecundia, conversis oculis paternum obtutum consuluit. Rex ut erat periclitante filia plenus acutissimi terroris, nunc, ea salva, gestientis lætitiæ; nutu monuit, quod offerretur acciperet. Eo itaque admisso in manus: Ego verò, inquit, à te maius donum vitam capio, & volens debeo.

Vix istud sermonis, vel potius verbi protulerat: iam rursus verita æquo prolixior fuisse, oculos è modestiæ ritu composuit. Itaque Telemachus videns delibatam ancipiti cogitatione, cautus offensa, responsum his paucis definiit: Fortunæ gratias agit Ulyssis filius, quòd annuit custodem esse vitæ tanti pretii. Annuat utinam eius etiam socium esse! Gratias maiores aget. Antiope, nullo

F f

respon-

responso, strenuè regressa ad comites, equo se reddidit.

Idomeneus Telemachum in ipso vestigio recentis beneficii pronuntiasset generum: nisi persuasum ipsi fuisset, amorem iuvenis incerta spe nuptiarum augeri posse, ipsúmque desiderio eas efficiendi induci, ut moram ampliozem Salenti faceret. Et hoc quidem regi erat in animo. At ludus Deorum est humana sapientia. Quæ rex meditabatur in moram, ipsa iuvenem incitârunt ad maturandum iter. Molliores sensus, qui paullatim in mentem eius serpebant, eandem monuerunt restringere sui ipsius fiduciam. Sed & Mentor ampliùs institit intolerabile patriæ desiderium admovere iuveni. Ac propterea urgebat Idomeneum, ne proficiscendi voluntati porro reluctaretur.

Navis instructa erat. Mentor enim, qui tempora singula Telemachi accommodabat ad supremum apicem gloriæ, nunquam patiebatur eum diutiùs morari uno loco, quàm ad exercendam tyronis sui virtutem videbatur necessarium. Quocirca inde à Telemachi reditu omnia subsidia curaverat profectiois. At horum aspectu Idomeneus gravissimè affectus, cùm nihil deinceps dubitaret, hospites, tantum huc usque rerum suarum auxilium, discessuros: non iam in tristitiam incidit, sed verissimum luctum & dolorem, eliciendæ alienæ pietati sanè idoneum. Inmittebat se ultimis palatii latebris. Hic gemitus, hic lacrymæ vocatæ ad laxandum afflictum animum: neglecta cura alendi corporis: frustra somnus postulatus leniendis doloribus. Desfluebat vultu exedente ægritudine, ut plerumque arbor insignis speciei &

& largiore umbra, cuius medullas vermiculus in venulis, provehendo succo ascendentibus, laceffere incipit. Quæ & ventorum multabat temeritatem obnixo vertice, & alumna felix, beatæ telluris fruebatur sinu, quàmque non audebant profanare dolabrâ agrestes manus; denique occulto malo pari debet suum profligari decus. Obsolescit. Frondes exuit cum apparatu totius pulchritudinis. Solus truncus relinquitur fatifcente cortice, effæctis foliis, & propediem ituris in casum. Hæc facies lugentis Idomenei.

Ea res Telemachum vehementer commovit. Non sermonem sociare cum rege, non liberè cogitare de discessu audebat. Conabatur invenire, quod eidem afferret moram. Et diu fortassis non se liberasset ambiguo animo, nisi interpellatus à Mentore fuisset, dicente, mutationem eius sibi non esse ingratham. Ingenium ipsi naturam inferuisse difficile & elatum, suis duntaxat temporibus & commodis cedens. At verò hominem, inquit, tandem induisti, & magistra forte tua incipis misericordiam sentire calamitatis. Qua sine quidem nunquam vel humanus vel bonus extiteris, vel aptus imperio. At habet suos quoque misericordia limites; nec fas est amicitiam in muliebrem molliitudinem degenerare. Equidem liberet mihi cum Idomeneo loqui, agerèque, ut protectionem nobis annueret. Ita molestiam illam prohiberem, quam adèò ingrata ea super re oratio tibi iniiciet. Sed & noxiam verecundiam, & ignaviæ angustias ab animis tuis prohibuerim. Fortitudinis constantiam discas oportet amicitiaè teneritudini sociare. Cavendum est, si potes, amico ne crees molesti-

am; si non potes, illa fubeunda simul, ut, quoad licet, mitiges, quod ab eo arcere non planè potes, vulnus. Atqui hoc ipsum, Telemachus excipit, ut fomentum suo rex capiat vulneri, pergratum mihi fit, cum per te de itinere nostro edoceri.

Haud ita, mi Telemache, Mentor ait. Ex illis scilicet unus es, qui & nati & educati in purpura, volunt omnia, ipsamque adeò naturam voluntati suæ obnoxiam, quin tamen ipsi palàm cuiquam ausint adversari; neque id propterea, quòd vel aliquo numero mortales ponant, vel bonitate ab eorum retrahantur offensâ: sed quòd iniucundum ipsis sit tristes & offensos vultus intueri in suo comitatu. Ærumnas & calamitates hominum flocci habent, modò non videant. Coràm meminisse earum, illos offendisse est. Probant amântque unos, qui ubique nunciant, bene & beatè habere omnia. Inter delectationes nihil libet in oculos, nihil in aures admittere, quod easdem inhibeat. Si quis castigandus, si corrigendus, si docendus saniora, si depellendus ab intemperantia, ab cupiditate importuna: id quidem aliena potius operâ, quàm linguâ sua moderatè constantérque studebunt perficere. Fœdissimam labem iustitiæ, summis negotiis vitium potiùs inferent, quàm contravenire velint iudicio hominis, quocum necesse habent agere in dies. Hæc egestas animi eorum ubi semel comperta est, cogitur omnium ingeniis famulari. Interpellantur, stringuntur, obruuntur precibus, atque ita fatigata demum eorum gratia, quidquid postulatur, admittit. Præmittuntur blanditiæ & laudes, quas, nisi à Deo, prope nefas est accipi, ad aperiendum illorum sibi animum. Quem si cui
unà

unà cum potestate officii dederunt, multo circuitu latentis & obscuræ solertiæ ducuntur sub iugum. Tum verò suspirant: onus excutere iterum iterumque statuunt; quanquam illud non nisi cum anima positura. Non otiosè cavent videri, nutu alieno regi; & reguntur tamen. Imò sic eos regi necesse est, quippe consimiles vitibus, delapsuris in humum, nisi identidem serpentes in amplexum ab immixtis stipitibus debilitati suæ emendicent subsidium.

Itaque non permittam, Telemache, pectus tuum his angustiis, nato ad sceptrum verè pestiferis, circumscribi. Tu, qui tam delicato sensu doloris nunc Idomeneum affari non audes, luctum eius defines miserari, ubi vix tergum Salento obverte- ris. Non mæror, quo ille conficitur, sed præsentia eius te movet, mi iuvenis. I, regem alloque- re! Disce hoc loco, quomodo teneræ menti adiun- gere constantiam debeas. Audacter doce, profe- ctionem ab eo tibi quidem permolestam accidere; ceterùm necessariam esse.

Verebatur iuvenis tam obsistere Mentori, quàm convenire Idomeneum. Ducebat sibi pudori, quem præferabat vilem metum; sed nec audebat illum excutere. Hæsitabat: progrediebatur in unum & alterum vestigium; mox inde referebat se, signi- ficatum Mentori nova argumenta differendi, quæ suafisset. At unicus magistri obtutus discussit ver- ba, torumque excusandi ingenium. Hic ergo (lepidè insultantis voce Mentor) ille Dauniæ genti Hercules, ille magnæ Hesperiaë custos Deus, ille illustris partus Ithacensis Oraculi, qui, isto per fata tacituro, sortes Græciæ populis edet?

Iste non audent regi nunc dicere, spem videndi genitoris non pati, deinceps iter ad suos differri. Infortunatam Ithacam, si quondam dominabitur tibi mancipium intempestivæ verecundiæ, summos neglecturum fructus ob timiditatem ad gerenda minima. Ecce quantum inter fortitudinem illam belli & hanc domi discriminis! Risisti pugnantem Adrastum; lugentem Idomeneum times? Deducus hoc est Principum, quorum magnitudo præclare gestis enituit; qui posteaquam in bellis se præstiterunt heroës, demum hebescunt cum postrema plebe ad negotia quotidiano vulgata usu, quibus alii intrepidam admovere manum consueverunt.

Juvenis tam sibi perspicua veritate à Mentore prolata, quàm acriori obiurgatione eius motus, protinus, reluctante licet animo, inde se abstulit. Vixque intraverat locum, ubi se Idomeneus continebat demissis oculis, dolore fractus, & exhaustus tristitia: cum inter se mutuò cœperunt formidare. Neuter attollere oculos, neuter loqui ausus; etsi loquebatur ipsum silentium: quod ne solveretur ab altero, uterque metuebat. Postremò rex magnitudinem mœroris non ferens: Ecce, exclamat, virtutem colimus, cultoribus propè ingratis suis? Edoctus illa vitia, quæ me profanârunt hætenus, ecce in ipso melioris rudimenti limine infelix tyro destituor. In antiquam ergo sylvam revertar meorum malorum. Desinant se obtrudere præcepta regalis disciplinæ, quam etsi animo, opere attingam nunquam. Piget morari inter homines. Et quò tu, Telemache? Vixit genitor. Frustra quæris. Cessit Ithaca inimicis spoliolum.

lium. Mortem illi tibi inferent, si tu illuc pedem. Ex illis item est (quid dubitas?) tui vinculo matrem qui mancipavit fidem. Mane. Gener meus & haeres eris. Me elato sceptrum, me superstitite summam potestatis geres. Habitabis in hoc animo, omnium arcanorum particeps. Quod si nihil istorum te movet; at Mentorem, in quo omnia mea collocavi, saltem mihi relinque. Loquere, fare! Noli obfirmare animum. Miserere mortalium infelicissimi! Quin respondes? Eheu! sentio, quàm in me crudèles Dii; & sentio magis, quàm cum nati cruorem hac manu Cretense solum bibit.

Denique Telemachus quanquam voce nec firma, nec intrepida: Meus, inquit, non sum. In patriam me vocant fata. Ex istis me Deorum interpretis Mentor hinc iubet proficisci. Et quid magis faciendum mihi? Abdicabo genitores meos, & genitoribus potiorem patriam? Natus sceptro cum sim, memini me non natum dulci otio, non voluntati meae. Equidem praevaleret paterno regno tuum. Sed &, quod destinârunt Dii, praevalere debet illi, quod tu benignè destinabas mihi. Antiopen habere sponsam vel nulla dote, argumentum esset, me non charum modo, sed & in amoribus haberi fortunæ. Quos ne planè tribuat indigno, abeundum mihi, quò officii iubet necessitas. De cætero sponsam filiam nato poscet genitor. Tu verò nunquid reducturum nos in Ithacam receperas? Nunquid propterea in Adrastum ibam cum Sociis? Nunc demum ire in mala & hostes Domus nostræ tempus monet. Dii, qui me dedere Mentori, etiam Mentorem dedere Ulyssis filio, ut

adiutore eo tangat, quam ipsi fata posuerunt, metam. Amissis omnibus amittere etiam Mentorem me iubes? Nec fortunas, nec certam domum, nec patrem, nec matrem, nec stabilem patriam habeo. Vir unus mihi superest probus & sapiens. Is mihi à Iove donum maximum, summum. Tu ipse nunc aestima, illo carere & volens carere num queam? minimè. Præstat mori. Vitam eripe; nihil hæc est. At Mentorem cave eripias.

Ut in sermone progrediebatur Telemachus, ita vocem & animum sensit amplius confirmari. Contra Idomeneus nec refellere poterat argumenta iuvenis, nec assentiri. Frustra ergo quæsitò, quod opponeret; saltem dolente obtutu & gestu sensum pietatis conabatur excire. Et tunc Mentorem supervenientem vidit; à quo in hæc verba serio compellabatur:

Mærorem pone. Proficiscimur; at quæ Deorum præest voluntatibus, sapientia curam geret tui. Iam id unum certum habe, esse nimis fortunatum te, quòd appulsi huic à Iove sumus, ut interitu Imperium, erroribus animum tuum liberaret. Philocles, quem tibi reddidimus, cum fide adiuvabit te. Nunquam ille deponet in Deos reverentiam, in virtutem & populos studium, humanitatem in miseros. Hunc audi, hunc rebus cum fiducia, & sine ægritudine æmulationis admove. Rerum autem, ab eo quas fieri voles, caput est, ut ei ius tribuas errores tuos, ut verè & omnino sunt, admonendi. Est ille animo verè & summè regio, qui amicos sibi putet conquirendos, sine fuce, & ex asse integros, qui, ne ignoret, quæ peccat, efficiant. Nihil ex absentia nostra deterior, sed beatus eris,

eris, si modò hoc animo sis. At si adulationibus, quæ illabuntur serpentium ritu, mentem interclusam rursus aperies, & sinceris occludes consiliis lubrico metu, periisti. Noli te facilè præbere doloribus; sed ad sequendam virtutem consurge. Quæ seu ad labores tuos sublevandos, seu ad fiduciæ in se tuæ abusum pertinent advertendum, Philoclem edocui. Præstabo tibi hunc hominem, quem, ut me Telemacho, cælestes tribuerunt tibi. Fatum suum quemque necesse est audacter sequi. Trepidare nil iuvat patri patriæque reddito Telemacho, huc denuo reciperem me, si hac tibi dextera foret opus. Quid enim egerim mihi iucundius? Non sequor divitias: auctoritatem non quæro. Illis unis opitulatum eo, qui sequuntur iustitiam, virtutem quærunt. De cetero coniunctionis & amicitia, qua me dignabare, memoriam dies nulla revellat.

Hæc verba subito mutavere Idomeneum. Sentiebat turbas animi perinde atque modestiores ad Tridentis iussum undas concitati maris, resedisse. Tacitus & lenis dolor perseverabat; quanquam sensus potius erat delicatè affecti animi, quam ad acerbicatem pertingens dolor. Robur mentis, spes, virtus, & fiducia è cælis auxilii revocata gliscebant sinu.

Deferes ergo me, rex inquit, Mentor, & ego me ipsum non deseram? Idomenei saltem cave obliviscaris unquam. In Ithaca, cum eò regressus fruëris integerrimo fructu sapientiæ tuæ, memento Salentum opus tuum esse, ibique relictum tibi, infelicem & ab uno te pendentem regem. Vade, non dispar ex Ulyssæ genus! vade: non te moror

amplius. Non refragabor, qui ad tempus mihi hunc thesaurum, Diis. Et tu, Mentor, oraculum & humani apex generis; si tamen in humanas vires cadit, quæ te præstare vidimus; & nisi ad erudiendum firmandumque ignarum ac debile mortalium genus humano habitu celatum numen es. I, comitare Ulyssis filium, beatiorem, quod alumnus tuus, quàm quod Adraasti victor est. Ite ambo. Non audeo plura. Ignoscite gementi. Ite, vivite, florete unà! Nihil in orbe iam superest mihi præter memoriam vestræ hîc quondam præsentia. O tempora dulcia, fortunata! O longè, quàm agnoverim, pretiosiora! O nimis elapsa citò mihi & elapsa in perpetuum! Frustra dehinc & semper requirent oculi, quod intuentur modò.

Et tunc Mentor profectiorem arripuit. Complectebatur Philoclem, affusis lacrymâs non voce valedicentem incumbenti. Mentorâs manum prehensabat Telemachus, ut se amplexu regis eximeret. At hic tum medius inter abituros simul processit adportum. Illi regem intueri: gemere: aggredi verba non continua, & singultu interveniente multata sensu.

Inter hæc diversæ voces miscebant littus, quod nautæ compleverant. Panduntur vela, tentata illico subeunte aura. Abituri, haud fanè firmi ad lacrymas, supremò consalutant regem, post tenaciores (ût in abitu) amplexus utrumque oculis, quàm longè sinebatur, consecutum.

TELE-

TELEMACHUS.

LIBER XXIV.

IAmque vela idoneos promovendo navigio flatus áceperant; sublatísque anchoris videbatur auferri ex oculis tellus. Leucaten gubernator procul vidit, cuius iugo terra spissos halitus afflârat & coëuntes gelu: dehinc Ceraunia vel adhuc superbo in cœlos supercilio, quanquam toties multato fulminibus.

In itinere Telemachus sermonem orsus cum Mentore: Videor nunc demum mihi satis intelligere, quæ tu præcepta regiæ disciplinæ. Initio quidem se præbebant menti velut incerta per quietem species. At paullatim eidem apertiora & sine ambiguitate apparent; veluti primam sub auro-ram quæcunque succedunt in oculos, caligine aspersa; at luce sensim copiosiore formas rerum, quósque colores à natura habent, reparante è rudi quodam chao seu informi congerie videntur prodire. Certum mihi iam est, caput illorum præceptorum esse, rectè internoscere animos hominum, tum ut eos possis sine errore deligere, tum pro facultate ingenii sui rebus gerendis adhibere. Ceterùm restat scire, qua ratione animos hominum internoscere queam.

Id obtinere volenti, Mentor respondit: Non obiter meditandi sunt, discendique homines. Sæpe inspiciendi, frequentandi sæpe. Admittent itaque reges subditos in consuetudinem, in sermonem, in consilium: periclitabuntur eos per negotia leviora commissa: rationem istorum reposcent, ut, num
apti